



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. DIONYSII || CARTHVSIANI, DE || DOCTRINA ET REGV-||lis  
vitae Christianæ**

**Dionysius <der Kartäuser>**

**Coloniae, 1577**

**VD16 D 1959**

De duplici incitamento diuini amoris 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60177)

DE VITA SPIRITUS 513

currit, ad Dei dilectionem & eleuationem mentis in Deum mox referre debemus, vt scilicet siue beneficia Dei, siue passionem Christi, seu aliud quippiam cogitemus, enitatur semper ex his in diuinum amorem compungi. Sed in omnibus ijs ab immoderata lætitia, à dissolutiōe cordis, à risu inani. pro viribus omnino abstinere oportet. Hæc quippe sollicitudinem, diligentiam, & recollectionem cordis impediunt atque effundunt: & qui illis lætatur, diuina vtique consolatione indignus efficitur.

*De duplici incitamento diuini amoris.*

*Articulus VIII.*

**Q**UO res melior est, eo amabilior est, & quod optimum est, summè vtique est laudabile. Quoniã ergo Deus benedictus naturaliter ac essentialiter bonus est, & immensa, perfecta, puraque bonitas, in qua est omnium desiderabilium, omniumque pulchrorum infinita ac incomprehensibilis plenitudo: videlicet æterna sapientia, incircūscriptibilis maiestas, omnipotens  
y s virtus,

*Perfectiones  
diuinae.*

virtus, inobtenebrabilis splendor, inexcogitabilis pietas, pax summa atque dulcissima, ardentissimus amor, iucundissima felicitas, gaudiosissima vita, indeficiensque imperium. Propterea ipse summè & naturaliter, & item propter seipsum desiderabilis est atque amabilis. Primum itaque inflammans animam in Dei amorem, est propria eius bonitas. seu contemplatio bonitatis diuinæ in seipsa. Secundum autem est, speculatio munificentiae & beneficiorum ipsius. Naturale enim est eum diligere qui alteri bona impendit, & circa eum munificus sit. Quo itaque beneficia diuinæ munificentiae circa nos plura maioraque sunt, eo Deum feruentius obligamur diligere: & grauius quoque peccamus non diligentes. De beneficijs autem ac misericordijs Dei nostri super nos, postmodum mentio erit. Igitur iam nunc dilige anima mea dominum, ama Deum creatorem tuum, amplectere & complectere eum intra teipsam. Munda affectum & praepara ei locum, quoniam propè est omnibus inuocantibus eum. Noli obliuisci gratias, ac misericordias eius, sed dic ei cum sincero

DE VITA SPIRITUS 513

cero suspirio: Nomen tuum & memo *Psal. 144.*  
 riale tuum Domine in desiderio ani *Psal. 102.*  
 mæ meæ. Rursusque: Ne auertas faci *Esaie 26.*  
 em tuam à puero tuo. Non enim ò a *Psal. 68.*  
 nima pacem extra eum inuenies, non  
 conscientia serenam quietem, non ve *Cant. 1.*  
 ram consolationē, nec desiderij tui sa *Psal. 104.*  
 tietatem. Porro si ei constanter adhæ  
 seris, si ei perseueranter clamaueris:  
 trahe me post te, si faciē eius incessan  
 ter quæsieris: cito utiq; apparebit tibi  
 & conuertet cor tuum in se, stabiliens  
 & illustrans te in sui contemplatione  
 atque amore: & tunc veraciter gusta  
 bis, quoniam suavis est dominus. *Psal. 33.*  
 Admirabiles enim, dulcissimas, &  
 mundissimas subinde delectationes  
 ex diuino fonte, & bono DEO hau  
 ries & experieris: & ex tunc desipiet  
 tibi caro, omnisq; indigna & carnalis  
 oblectatio contemnetur à te: & quod  
 tibi paulo antè laboriosum extitit,  
 mentem scilicet à multis abstrahere  
 & in Deo figere, iam promptum erit  
 atque iucundum. Veruntamen in  
 primis necesse est, circa purgationem  
 passionum insistere, & ex timore ho  
 minem ordinare, atq; in consideratio  
 ne dominicę passionis & humilitatis,  
 y o huma

§16 D. DIONYS. CARTH.

humanitatisq; Christi animam exercere: & sic demum ad feruidos diuinæ bonitatis affectus cor leuare, atque ad lucidissimas, inuisibilis, incorporeæ, ac simplicissimæ, diuinitatis contemplationes mentem attollere.

*Quod ad sedulam cordis custodiam,  
per magnum incitamentum sit,  
seria de diuina maiestatis  
præsentiâ cogitatio.*

Artic. IX.

*Diuina præ-  
sentiâ sem-  
per & in  
omnibus co-  
gitatis quid  
efficiat.*



Ille est atque peruersum, plus venerari, vel timere hominû vultum, quàm diuinum conspectum. Quo itaq; pacto mi dilectissime frater, audemus Deo spectante cogitare, quod homine audiente non audemus proferre? Denique quomodo non erubescimus ea Deo cõspiciente appetere, quæ corâ hominib; confundimur operari vel dicere? Sed & qualiter audemus in diuini vultus præsentia facere, quod honesto aliquo viro præsentem formidamus efficere? Palam est ideo nos ista peragere, quoniam amplius hominem quam Deum honoramus atque metuumus: Sed quid